Brakman, C.
Annaeana nova

NNAEANA NOVA

VELLEIANA

SCRIPTORES HIST. AUG.

AD PANEGYRICOS LATINOS

SCRIPSIT

C. BRAKMAN J.r



LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL
MCMX.

ANNAEANA NOVA

VELLEIANA

AD SCRIPTORES HIST. AUG.

AD PANEGYRICOS LATINOS

SCRIPSIT

C. BRAKMAN J.F.



LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL
MCMX.



EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

Matris Meae

Piae Memoriae.

PRAEFATIO.

Vehementer laetatus sum quod de *Ammianeis et Annaeanis*, quae anno ante in lucem emisi, complures philologi prudentes atque periti, quales sunt Woltjer, Aemilius Thomas, Santi Consoli, Upson Clark, satis benevolum iudicium tulerunt. Illi enim viri clarissimi vitiis aliquot indicatis tamen non paucas coniecturas in eo opusculo propositas esse rectas multaque alia et vere et utiliter observata esse confirmaverunt. Itaque facile unusquisque laudabit quod *Annaeana* tunc incohata modo nunc absolvi [1]). Ut igitur priora studia apte his novis exciperentur praemisi quae erant dicenda de Senecae Tragoediis addendaque de Epistulis et Dialogis, tum demum disputavi de Senecae rhetoris Controversiis et Suasoriis. Verum ut in hoc quoque libello historici tractarentur, primum elegi Velleium Paterculum rerum scriptorem haud iniucundum, deinde transii ad Historiam Augustam, cui iam pridem multum operae dederam. Postremo cum non ignorarem novam editionem Panegyricorum Latinorum brevi prodituram esse inventa mea ad illas orationes pertinentia quae forsitan prodessent statui divulgare.

Dabam
Hagae Comitis
mense Maio
anni MCMX.

C. BRAKMAN J.F.

1) De Senecae Nat. Quaest. egi in Herm. Vol. XLV pag. 37—42.

AD SENECAE TRAGOEDIAS.

Herc. [fur.] 350

quod si impotenti pertinax animo abnuet,
stat tollere omnem penitus Herculeam domum.
invidia factum ac sermo popularis premet?
ars prima regni est posse † invidiam pati [1].

Metrum in integrum restitues, si correxeris

ars prima regni est posse ⟨*et*⟩ invidiam pati.

Conferre possumus Herc. [fur.] 791 sentire *et* umbras solitus; Troad. 242 didicitque Achilles *et* dea natos mori; Phoeniss. 549 facinus quod novum *et* Thebis fuit.

Hic dicendum est Koetschavium, quem Richter secutus est, iisdem litteris adiectis hiatum sustulisse Troad. 303

regum tyranne! ⟨*et*⟩iamne flammatum geris e. q. s.

Ipse olim scripsi Prudent. Contra Symmach. I 395

Incassum arguere ⟨*et*⟩ iam Taurica sacra solemus [2].

Herc. [fur.] 1308

aut vivis aut occidis — hanc animam levem
fessamque senio nec minus fessam malis
in ore primo teneo. tam tarde patri
vitam dat aliquis? non feram ulterius moram,
† *letale* ferro pectus impresso induam.

Huius ultimi versus puto primariam scripturam fuisse:

letali
senile ferro pectus impresso induam.

---

1) Textum dedi secundum editionem Weidmannianam, quam curavit F. Leo.

2) Cf. Rev. de l'Instr. publ. en Belg. Vol. 52 (1909) pag. 25—26.

Itaque verisimile est genuinam vocem *senile* pulsam esse interpretamento *letali*, hoc autem mox mutatum in *letale*, ne metrum turbaretur. Coniecturae meae favet Herc. [Oet.] 1857

agedum *senile pectus*, o miserae manus,
pulsate.

Comparentur etiam hi versus Troad. 50

ensis *senili* siccus e iugulo redit,

et Oed. 788

Animam *senilem* [1]) mollis exsolvit sopor.

Phoeniss. 454 in vestra manu est,
utrum velitis: sancta si pietas placet,
† donate matri *pacem;* si placuit scelus,
maius paratum est: media se opponit parens.

Voci *pacem,* quae sententiae conveniens metrum tamen pessumdat, substituo *placida.* Quam lectionem ut tuear exscribo verba, quibus Iason Medeam alloquitur (Med. 537)

Sana meditari incipe
et *placida* fare.

Ceterum locutione *pacem dare* utitur auctor Octaviae vs. 474—475.

Med. 677
totas opes effundit et quidquid diu
etiam ipsa timuit promit atque omnem explicat
turbam malorum, arcana secreta abdita,
et triste laeva † *comprecans* sacrum manu
pestes vocat quascumque ferventis creat
harena Libyae e. q. s.

Reponendum est, nisi omnia me fallunt, *contrectans,* ut docet locus similis Thyest. 691 sqq.

Ipse est sacerdos, ipse funesta prece
letale carmen ore violento canit,
stat ipse ad aras, ipse devotos neci
contrectat et componit e. q. s.

---

1) Idem occurrit Sen. Epist. 30, 14 non dubitare autem se, quin senilis anima in primis labris esset; ex eadem epistula laudetur praeterea § 2 ita in senili corpore aliquatenus inbecillitas sustineri et fulciri potest.

Phaedr. 299

induit formas quotiens minores
ipse qui caelum nebulasque † *fecit*
candidas ales modo movit alas
dulcior vocem moriente cygno.

In adnotatione ad vs. 300 Leo observat: νεφεληγερέταν innuit. Quod cum verissimum sit, emendo

ipse qui caelum nebulasque *civit*

provocans ad Verg. Aen. IV 122 et tonitru *caelum* omne *ciebo*.

Oedip. 875

saeculi crimen vagor,
odium deorum, iuris exitium sacri,
qua luce primum spiritus hausi rudes
iam morte dignus. redde nunc animos † *acres*
nunc aliquid aude sceleribus dignum tuis.

Leni medicina adhibita corrigo: redde nunc *animos mares*, quod et color orationis flagitare videtur et commendatur Horat. A. P. 401 sqq.

Post hos insignis Homerus
Tyrtaeusque *mares animos* in Martia bella
Versibus exacuit.

Vox *maris* saepe occurrit in Senecae Natur. Quaest., velut I 16, 7; III 12, 2 (bis), cet.

Herc. [Oet.] 28

quodcumque tellus genuit infesta occidit
meaque fusum est dextera: iratis deis
non licuit esse. si negat mundus feras
† *animum novercam*, redde nunc nato patrem
vel astra forti.

Editor coniecit: *tandem novercae*, mihi verum videtur: si negat mundus feras | *iamiam novercae* e. q. s. *Iamiam* legitur Troad. 1141, Herc. [Oet.] 1141, at *iamiamque* Dial. VII (de vit. beat.) 26, 3; De Benef. VI, 3, 2 cet.

Herc. [Oet.] 1173

pro mundi arbiter
superique quondam dexterae testes meae,

pro cuncta tellus, Herculem vestrum placet
morte ⟨*ita*⟩ ferire? dirus o nobis pudor e. q. s.

Fortasse post *morte* intercidit *ita*, neque otiosum est observare tres litteras *cta* (verbi *cuncta*) eodem fere loco proxime praecedentis versus exaratas esse, ita ut librarius adverbium facile praetermittere potuerit.

A dactylo incipiunt etiam vs. 1133, 1145, 1162 cet.

Herc. [Oet.] 1319 quid pascis minas?
quid quaeris ultra? supplicem Alciden vides,
et nulla tellus, nulla me vidit fera
te deprecantem. nunc mihi irata † *pater*
opus est noverca — nunc tuus cessat dolor?

In antecedentibus (vs. 1290, 1304, 1308) iam ter Hercules ad patrem se convertit, verum inde a vs. 1316 novercam invocat, parum apte ergo vs. 1322 quartum *pater* in fine versus iteratur. Temptaverim: nunc mihi irata *invicem* | opus est noverca i. e. cum omnes aerumnae quondam Iunonis ira Herculi perpetiendae fuerint, heros nunc ultro precatur ut noverca se perdat.

Octav. 34

Fulgore primo captus et facie nova
fallacis aulae quisquis attonitus stupet.
† sub uno latentis ecce Fortunae impetu
modo praepotentem cernat eversam domum e. q. s.

Initium versus 36 prorsus turbatum est. Fortasse sic in integrum restitui potest:

latentis
uno sub ecce *caecae* Fortunae impetu,

nam verisimile est sciolum quendam *caecae* explicare voluisse per *latentis*, ipsum autem interpretamentum postea voce genuina pulsa in auctoris verba irrepsisse.

Octav. 514

nec finis hic cruoris aut caedis stetit:
pavere volucres et feras saevas diu
tristes Philippi, *hausit* et Siculum mare
classes virosque.

Haud scio an pro *hausit* reponendum sit *pressit*. Comparare possis

Verg. Aen. I 246 it mare proruptum et pelago *premit* arva sonanti.

Octav. 740

Quaecumque mentis agitat † *infestus* vigor,
ea per quietem sacer et arcanus refert
veloxque sensus.

An fuit sincera lectio: *improbus* vigor, cui male intellectae interpres substituit *infestus* vigor? *Improbus* autem vigor eodem sensu dictum est, quo Vergilianum illud (Georg. I 145): *labor* omnia vincit *improbus*.

AD SENECAE EPISTULAS MORALES.

XIX 6 quis exitus erit? quid exspectas, donec desinas habere, quod cupias? numquam erit tempus. qualem dicimus seriem esse causarum, ex quibus nectitur fatum, talem esse ⟨*necesse est*⟩ cupiditatum: altera ex fine alterius nascitur.

Quod inserui, crebro apud Senecam legitur, velut Ep. XC 32 *necesse est* enim ante Democritum et pontes et portas *fuisse*, quarum fere summa curvatur; Dial. X (de brev. vit.) 7, 5 iis vero *necesse est defuisse*, ex quorum vita multum populus tulit; Nat. Quaest. IV^b 9 (his corporibus) *necesse est* minora foramina *esse;* at iungitur cum coniunctivo Nat. Quaest. VII 14, 2 deinde quod tantae crassitudinis est, *necesse est* et magni ponderis *sit;* cet.

XXXI 5 generosos animos labor nutrit. non est ergo, quod ex illo vetere † parentum tuorum eligas, quid contingere tibi velis, quid optes: et in totum iam per maxima acto viro turpe est etiamnunc deos fatigare.

Solent editores post *vetere* addere *voto*, sed potius exspectaveris: quod ex illo vetere parentum tuorum ⟨*more*⟩ eligas e. q. s. Apte composueris Epist. LXVI 27 virtus quoque opera sua, quae videt adfici et premi, non magis amat, sed *parentium* bonorum *more* magis complectitur ac fovet.

LXXIV 33 quemadmodum in corporibus *insignis* languoris signa praecurrunt, quaedam enim segnitia enervis est et sine labore ullo lassitudo et oscitatio et horror membra percurrens: sic infirmus animus multo ante quam opprimatur malis quatitur.

Insignis pro glossemate habeo, ita ut interpres morbum, cuius

signa praecurrunt, *insignem languorem* vocaverit. Quamobrem puto primitus in codice fuisse:

insignis
in corporibus *instantis languoris* signa e. q. s.

LXXXVII 24 ergo bona nasci ex malo non possunt, nam si, ut *dicitis*, ob hoc unum sacrilegium malum est, quod multum mali adfert, si remiserit illi supplicia, si securitatem spoponderit, ex toto bonum erit. atqui maximum scelerum supplicium in ipsis est. § 25 *erras*, inquam, si illa ad carnificem aut carcerem *differs*.

Ex *dicitis* elicio *tu dicis*, nam illud videtur ortum esse ex
tu
dicis. Sic demum inter se respondent *dicis* et (§ 25) *erras* et *differs*. Etiam Nat. Quaest. VI 6, 4 legitur *tu dicis*.

AD SENECAE DIALOGOS.

IV (de ira) 7, 3 haec tot milia ad forum prima luce properantium quam turpes lites, quanto turpiores advocatos habent! alius iudicia patris accusat, quae vereri satius fuit, alius cum matre consistit, alius delator venit eius criminis, cuius manifestior reus est; et iudex damnaturus quae fecit eligitur et corona pro mala causa bona patroni voce corrupta ...

In fine sententiae desidero verbum *orat*, quod praecedens participium videtur absorbuisse.

Legitur VII (de vit. beat.) 12, 4 itaque non ab Epicuro impulsi luxuriantur, sed vitiis dediti luxuriam suam in philosophiae sinu abscondunt et eo concurrunt, ubi audiant laudari voluptatem. — Mox autem incipit § 5 itaque quod unum habebant in malis bonum perdunt, peccandi verecundiam: laudant enim ea, quibus erubescebant, et vitio gloriantur; ideoque ne resurgere quidem *adulescentiae* licet, cum honestus turpi desidiae titulus accessit.

Descripsi partem paragraphi quartae ut intellegeretur in locum corruptum (§ 5) quadrare: *adulescenti ⟨petulanti⟩ae*. Hic commemoremus infra IX (de tranq. an.) 5, 3 Lipsium addidisse *petulantiam*. Verbum *adulescendi* sensu *crescendi* iam Cicero adhibet, velut De finib. V § 55 eaque cupiditas agendi aliquid *adulescit* una cum aetatibus.

VII (de vit. beat.) 25, 2 muta stragula mea: nihilo miserius ero, si lassa cervix mea in maniculo faeni adquiescet, si super Circense tomentum per sarturas veteris lintei effluens incubabo. quid ergo est? malo, quid mihi animi sit, ostendere praetextatus et † *causatus* quam nudis scapulis aut *sententis*.

Temptaverim: malo, quid mihi animi sit, ostendere praetextatus et *causiatus*[1]) quam nudis scapulis aut *sentis*; cf. Ter. Eun. 236 video *sentum* squalidum aegrum, pannis annisque obsitum.

IX (de tranq. an.) 9, 2 cibus famem domet, potio sitim, libido qua necesse est fluat; discamus membris nostris inniti, cultum victumque non ad nova exempla componere, sed ut maiorum mores suadent; discamus continentiam augere, luxuriam coercere, gloriam temperare, iracundiam lenire, paupertatem aequis oculis aspicere, frugalitatem colere, etiam si multos pudebit eius † plus, desideriis naturalibus parvo parata remedia adhibere e. q. s.

Integra lectio videtur fuisse: etiam si multos pudebit eius ⟨*iusto*⟩ plus. Cf. de Clem. I 2, 2 aequo plus.

X (de brev. vit.) 15, 4 honores, monimenta, quidquid aut decretis ambitio iussit aut operibus exstruxit, cito subruitur, nihil non longa demolitur vetustas et *movet;* at iis, quae consecravit sapientia, nocere non potest.

Per haplographiam quandam, ut opinor, post *vetustas et* scriptum est *movet* pro *semovet.* Laudetur Cic. de fin. V § 21 haec in praesentia nota esse debebunt, voluptatem *semovendam* esse.

XI (ad Polyb. de cons.) 17, 4 C. Caesar amissa sorore Drusilla, is homo, qui non magis dolere quam gaudere principaliter posset, conspectum conversationemque civium suorum profugit, exsequiis sororis suae non interfuit, iusta sorori non praestitit, sed in Albano suo tesseris *ac foro et pervocatis* et huiusmodi aliis occupationibus acerbississimi funeris elevabat mala. pro pudor imperii! principis Romani lugentis sororem alea solacium fuit!

Verba Senecae nisi fallor fuerunt: sed in Albano suo tesseris ac *fritillo pernoctans* e. q. s. Prior vox commendatur Apocoloc. 12 vs. 30

qui concusso
magna parastis lucra *fritillo.*

Iam vero *pernoctans* parum differt a *pernotatis,* quae lectio est in cod. B (sec. man.).

1) De *causia* cf. Amelung, Die Gewandung der alten Griechen und Römer pag. 28.

AD SENECAE CONTROVERSIAS ET SUASORIAS[1]).

Contr. I 3, 1 Hoc exspectastis, ut capite demisso verecundia se ipsa, antequam impelleretur, deiceret? id ⟨*videlicet*⟩ deerat, ut modestior in saxo esset quam in sacrario fuerat. constitit et circumlatis in frequentiam oculis sanctissimum numen, quasi parum violasset inter altaria[2]), coepit in ipso, quo vindicabatur, violare supplicio: hoc alterum damnatae incestum fuit.

Inserui *videlicet*, quod color ironicus sententiae flagitare videtur quodque fortasse scriptum *vid.* post *id* facile intercidere potuit. Apte contuleris Contr. II 1, 1 Hancine meam esse fortunam? eodem tempore et abdicor et adoptor. ista *videlicet* domus adulescentem me non capit; Ibid. IX 1, 6 ob hoc *videlicet* ipsum, ut innocentia eius, quae alioqui latere potuerat, ipsa damnatione ostenderetur; Suas. 7, 8 aufertur Ciceroni ingenium sine vita; promittuntur pro oblivione nominis tui pauci servitutis anni, non ille te vivere vult, sed facere te ingenii tui superstitem: *videlicet*[3]) Cicero audiat Lepidum, Cicero audiat Antonium, nemo Ciceronem; Contr. VII 7, 2; Ibid. X Praef. § 6 cet.

Ter verborum ordinem, quem Mueller amplexus est, immutaverim nempe Contr. II 1, 8 sescenta praetereo alia corruentium inter divitias suas exempla: non refero, quotiens in iis istam

---

1) Textum dedi secundum editionem, quam curavit H. I. Mueller (Vindobonae F. Tempsky 1888).

2) Sequor Novákium lectionem *altaria* strenue defendentem in Diario, cui titulus est *Wiener Studien* (1908. Bd. XXX pg. 115—116).

3) Codices exhibent: *vide ut.*

posueritis domum meliores perdentem divitiis suis liberos. hoc scio ⟨*animo*⟩ nostros fuisse maiores, hoc illum Aelium Tuberonem, cuius paupertas virtus fuit, hoc Fabricium Samnitium non accipientem munera, hoc ceteros patres nostros, quos apud aratra ipsa minantes pecora sua circumsteterunt lictores.

Verisimile est $\widehat{aio}$ (= animo) excidisse post *scio*, non post *hoc*. Praeterea qui attendit verborum collocationes: sescenta praetereo alia; istam posueritis domum; nostros fuisse maiores; probabit potius, quod dedi.

Contr. IX 2, 18 quaedam controversiae sunt, in quibus factum defendi potest, excusari non potest; ex quibus est et haec. non possumus efficere, ut propter hoc non sit ⟨*reus*⟩ reprehendendus; non speramus, ut illum iudex probet, sed ut dimittat; itaque sic agere debemus, tamquam pro facto non emendato, non scelerato tamen.

Nemo non intellegit, quemadmodum sine ullo negotio librarius subsequenti vocabulo deceptus *reus* praetermittere potuerit. Simili ratione commotus scribere velim:

Suas. 7, 2 ignosce, Cicero, diu ⟨*si*⟩ ista narravero: forsitan hoc die novissime audiuntur.

Contr. II 7, 3 tempus est, iudices, de uxore marito credi mulierem tam formonsam amari potuisse pudice; certe sic amari, ne sollicitaretur, potuit; neque est, quod dicat: non in meo istud arbitrio positum erat. erratis vos, iudices, si non maius ad sollicitandam matronam putatis inritamentum spem corrumpendi quam faciem quamvis amabilem. *sensum* si tantum in formonsa sperari posset, quantum placere potest, omnes formonsae in se universos oculos converterent.

Sincera lectio fuit fortasse: *scilicet* si tantum in formonsa sperari posset e. q. s. Certe illud *sensum* facile nasci potuit ex scriptura *sc. si*, quod vix differt a *sēsū* (= sensum).

Haud scio an idem adverbium revocandum sit: Contr. IX 4, 19 Graeci coeperunt in theatro postulare, ut Sabinus maximum magistratum gereret. mos autem est barbam *ac* [1]) capillum magistratui Cretensium summittere. surrexit Sabinus et

1) Quamquam legitur *et* in E, cum Bursiano praefero *ac*.

silentium manu fecit; deinde ait: hunc magistratum ego Romae bis gessi. bis *scilicet* causam dixerat.

Nam puto inter *bis* et *causam* compendium scripturae *sc.* omissum esse.

Contr. II 7, 8 adeone iam ad omnem patientiam saeculi mos abiit, ut adversus querimoniam viri uxor alieno teste defendatur? at hercules adversus externorum *quondam* opiniones speciosissimum patrocinium erat: ego viro placeo.

Gertzio praeeunte Mueller scripsit *quondam* pro codicum ABV scriptura *quod*, at Novák utrumque damnat. Equidem interpunctione immutata temptaverim: at hercules adversus externorum opiniones *quod* speciosissimum patrocinium erat? Ego viro placeo.

Contr. VII 1, 10 impositus est in navem frater: qualem navem? scitis nihil esse periculosius quam etiam instructa navigia: parva materia seiungit fata. quid vero, si non rudentibus committitur illa anima, non velis, non gubernaculo defenditur? exarmata navis est, utroque patens latere; imponitur miser in naufragium, navigio per se pessum ituro pondus *insui*.

Tradita scriptura variat inter *insui* et *insuit* (vel *infuit*). Quae propositae sunt coniecturae: inditur, imponitur, inicitur, accedit, mea quidem sententia nimis longe a memoria librorum recedunt. Nonne verum est: navigio per se pessum ituro pondus *insidit*? Facile certe in hoc ultimo verbo librarius, qui paulo ante (§ 8) *insue me culleo* [1]) exaraverat, errare potuit.

Contr. VII 4, 9 et illud dixit: mitte istam epistulam infructuosam. odisse illam debes: haec est, quae matrem tuam excaecavit. et illam *salsissimam*, in quam multi inciderunt; propter hoc ipsum, inquit, magis flebilis est, quod non potest flere. et iterum: lacrimae, inquit, matri desunt, causae supersunt; tamquam caeci flere non soleant.

Corrige mecum: et illam *insulsissimam*, in quam multi inciderunt.

---

1) Cf. infra Contr. VII, 1, 14 insui culleo postulantem.

Contr. VII 6, 8 iste vero, ut dices, iniuriam tibi fecit, quia adfinitatem tuam moratus est. si non cessasset; iam fortasse ex illo nepotes haberemus. habeamus generum, si possumus, parem *et* similem; si minus, non erubescendum, cui cognatus sit aliquis nobilis e. q. s.

Coniunctione copulativa non disiunctiva („*vel*") opus esse declarat infra § 20 quo uno modo honeste potui, feci filiam meam ceteris *similem*, fortunam meam publicae *parem*. *Et* autem commendatur hisce exemplis Contr. X Praef. § 6 res nova et invisitata; Suas. 7, 7 fragile et caducum; ibid. § 11 humillimo et sordidissimo; ibid. § 9 oro et obtestor cet.

Contr. IX Praef. § 3 adice nunc, quod animus illis nullius interventu excutitur: nemo ridet, nemo ex industria obloquitur, familiares sunt omnium vultus. in foro, ut nihil aliud, ipsum illos forum turbat. hoc, quod vulgo narratur, an verum sit, tu melius potes scire: Latronem Porcium, declamatoriae virtutis unicum exemplum, cum pro reo in Hispania Rustico Porcio, propinquo suo, diceret, usque eo esse confusum, ut a soloecismo inciperet, nec ante potuisse confirmari ..... ac *parietem* desiderantem, quam impetravit, ut iudicium ex foro in basilicam transferretur.

In lacuna, quam supra indicavi, Mueller supplevit *tectum*, at Kiessling *atria*. Desideramus autem verbum, quo indicatur res, quam praeter *parietem* in auditorio recitator ante se solet conspicere. Quocirca addendum esse censeo *subsellia*.

Contr. IX 2, 25 Rufus Vibius erat, qui antiquo genere diceret; belle cessit illi sententia sordidioris notae: praetor ad occidendum hominem soleas poposcit. altera eiusdem generis, sed non eiusdem successus sententia: cum deplorasset condicionem violatam maiestatis et consuetudinem maiorum descripsisset, qua semper voluissent ad supplicium ⟨*mane*⟩ advocari, sententiam dixit: at nunc a praetore lege actum est ad lucernam.

Adverbium, quod addidi, optime in sententiam quadrare videtur. Praeterea observandum est etiam memoria nostra in Francia de capitis damnatis prima luce supplicium sumi.

Suas. 2, 1 o Lacedaemonii, ite adversus barbaros; non refero opera vestra, non avos, non patres, quorum vobis exemplo ab infantia surgit ingenium. pudet Lacedaemonios sic adhortari: *filico* tuti sumus.

Exspectaveris: *ipso loco* tuti sumus. Sed utrum *filico* ortum sit ex dittographia quadam (*fic loco*) an ex nescioquo compendio scripturae dicere non ausim.

Suas. 2, 3 ad certam victoriam omnes remansissent; ad certam mortem tantum Lacones. *ne sit* Sparta lapidibus circumdata: ibi muros habet, ubi viros.

Novák [1]) docuit apud Senecam patrem in sententiis concessivis negationem esse *non*, itaque lectionem *ne sit* stare non posse. Quocirca conicio: *sane non* sit Sparta lapidibus circumdata: ibi muros habet, ubi viros. *Sane* certe saepius in Controversiis et Suasoriis occurrit.

Suas. 7, 2 intellexit Antonius salvis eloquentiae monumentis non posse Ciceronem mori. ad pactionem vocaris, qua pactione melior [*in te*] pars tui petitur.

Manifesto sunt verba *in te* [2]), quae cancellavi, glossema. Fortasse olim in libris fuit:
in te
melior pars tui petitur.

Contrarium invenimus infra (§ 8): vilissima pars tui est, quae tibi vel eripi vel donari potest.

Aliud emblema deprehendere mihi visus sum Suas. 6, 15 Itaque numquam per Ciceronem mora fuit, quin eiuraret suas, quas cupidissime effuderat, orationes in Antonium; multiplicesque numero et accuratius scriptas illis contrarias edere ac vel ipse palam pro contione recitare pollicebatur ceteraque. [3]) his alia sordidiora multo adiecit [3]), ut [*tibi*] facile liqueret hoc totum adeo falsum esse, ut ne ipse quidem Pollio in historiis suis ponere ausus sit.

Tibi ab hoc loco alienum esse apparebit, si contuleris Suas. 7, 3 mori enim naturae finis est, non poena. hoc *tibi* uni non liquet?

---

1) l.l. pag. 263.
2) Mueller edidit *ante te*.
3) Emendavit Novák (l.l. pag. 268).

AD VELLEIUM PATERCULUM.

I 18, 1 una urbs Attica pluribus *auctoribus* eloquentiae quam universa Graecia operibusque floruit, adeo ut corpora gentis illius separata sint in alias civitates, ingenia vero solis Atheniensium muris clausa existimes.

Auctoribus edidit Halm [1]), at Ellis recepit *omnis* pro codd. scriptura *annis*, sed neutrum placuit Novákio [2]), qui *ingeniis* coniecit. Equidem desidero *principibus* commotus Vellei ipsius verbis (II 22, 3): M. Antonius *princeps* civitatis atque *eloquentiae*, gladiis militum, quos ipsos facundia sua moratus erat, iussu Marii Cinnaeque confossus est. Verum etiam Ciceronis notissima verba comparanda sunt (de Orat. II 94): Ecce tibi est exortus Isocrates, magister historicorum omnium, cuius e ludo tamquam ex equo Troiano meri *principes* exierunt, ubi Piderit adnotat: meri, lauter *ἄρχοντες* u. *ἡγεμόνες*, Koryphäen der Redekunst.

Fieri tamen potest ut legendum sit: pluribus *principibus omnis* [3]) eloquentiae e. q. s.

Ceterum saepissime Velleius utitur voce *princeps*, velut II 36, 3 princeps carminum; ibid. 53, 2 princeps Romani nominis; ibid. 127, 3 principe equestris ordinis; ibid. 35 principe illo familiae Porciae cet.

II 21, 4 post hoc cum utrumque exercitum velut parum bello exhaustum laceraret pestilentia, Cn. Pompeius † decessit.

---

1) Huius textum secutus sum, sed adhibui etiam editionem, quam curavit Ellis quaeque prodiit Oxoniis (1898).

2) Cf. Wien. Stud. XXVIII (1906) pag. 293.

3) Schoell (Rhein. Mus. LIII (1898) pag. 525) coniecit *alumnis*.

Edoctus Vellei textum omissis verbis maxime turbatum esse cum Sauppio ante *decessit* lacunam statuo. Expleverim autem: Cn. Pompeius ⟨*adflatus sidere*⟩ decessit, provocans ad Momms. R. G. II^{8} pag. 310 (in adnot.) Adflatus sidere, wie Livius (nach Obsequens 56) sagt, heiszt „von der Pest ergriffen" e. q. s. Pertinent autem haec verba ad ipsum Cn. Pompeium Strabonem.

II 24, 1 C. Flavius Fimbria, qui praefectus equitum ante adventum Sullae Valerium Flaccum consularem virum interfecerat exercituque occupato imperator appellatus *fonte* Mithridatem pepulerat proelio, sub adventum Sullae se ipse interemit, adulescens, quae pessime ausus erat, fortiter exsecutus.

Pro *fonte*, quae est codicum scriptura, Puteanus coniecit *forti*, Halm *sponte*, Novák [1]) *ingenti*. Ipse puto restituendum esse *secundo*, quod per compendium scriptum non ita multum a tradita memoria differt.

II 25, 2 crescebat interim in dies Sullae exercitus confluentibus ad eum optimo quoque et *sanissimo*. felici deinde circa Capuam eventu Scipionem Norbanumque consules superat, quorum Norbanus acie victus, Scipio ab exercitu suo desertus ac proditus inviolatus a Sulla dimissus est. § 3 adeo enim Sulla dissimilis fuit bellator ac victor, ut dum vincit † ac iustissimo lenior, post victoriam audito fuerit crudelior.

Vel ex eis, quae descripsi, satis apparet Velleium frequenter duo synonyma coniungere (optimo et sanissimo; desertus ac proditor; bellator ac victor). Quocirca integra verba fuisse videntur: ut dum vincit, ⟨*sanctissimo*⟩ ac iustissimo lenior e. q. s. Argumento sunt II 59, 2 sanctissimi atque praestantissimi viri; II 13, 1 vir nobilissimus, eloquentissimus, sanctissimus; II 46, 2 vir cetera sanctissimus immunisque voluptatibus cet.

Fortasse librarius, cum paulo supra (§ 2) exaravisset *sanissimo*, omisit *sanctissimo*.

II 40, 5 numquam eminentia invidia carent. itaque et Lucullus, memor *tamen* acceptae iniuriae, et Metellus Creticus non iniuste querens (quippe ornamentum triumphi eius captivos

---

1) l.l. pag. 302.

duces Pompeius subduxerat) et cum iis pars optimatium refragabatur, ne aut promissa civitatibus a Pompeio aut bene meritis praemia ad arbitrium eius persolverentur.

Voci *tamen* Orelli substituit *tandem*, at Laurent *ante*. Ellis in apparatu critico scripsit: *tamen*, quod misere languet de Lucullo. Nonne reponendum est: memor *etiam* acceptae iniuriae? Nam Lucullum graviter offensum lege Manilia praeter invidiam movit odium in Pompeium.

II 41, 1 Secutus deinde est consulatus C. Caesaris, qui scribenti manum inicit et quamlibet festinantem in se morari cogit. hic nobilissima Iuliorum genitus familia et, quod inter antiquissimos ..... constabat, ab Anchise ac Venere deducens genus, forma omnium civium excellentissimus e. q. s.

Omnes fere *antiquissimos* [1]) corruptum habent, equidem potius lacunam significavi, in quam quadrare videtur *philologos*. Nam auctor, nisi omnia me fallunt, dicit priscos illos locupletissimosque historiarum Romanarum investigatores iam repperisse gentem Iuliam ab Anchise et Venere originem ducere. Imperfectum *constabat* certe manifesto declarat neque Varronem, neque Livium neque Vellei aequales significari. De philologis cf. Sen. Epist. 108 § 30—32, qui est locus classicus [2]).

II 88, 2 erat tunc urbis custodiis praepositus C. Maecenas equestri, sed splendido genere natus, vir, ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis, providens atque agendi sciens, simul vero aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiis *paene* ultra feminam fluens, non minus Agrippa Caesari carus, sed minus honoratus — quippe vixit angusti clavi *paene* contentus — nec minora consequi potuit, sed non tam concupivit.

Alterum *paene*, quod cod. A exhibet (in P est *pene*), procul dubio ex priore repetitum videtur extrusisse veram lectionem: *tunica*. Afferatur Sueton. August. 94 Sumenti virilem togam *tunica lati clavi* resuta ex utraque parte ad pedes decidit.

---

1) Nihil est quod *antiquissimos* suspicionem moveat, cf. II 116, 3 vir antiquissimi moris; II 49, 3 vir antiquus et gravis, cet.

2) Cf. Gudeman Grundriss der Geschichte der klass. Philologie pag. 6—7.

II 115, 2 initio aestatis Lepidus educto hibernis exercitu per gentis integras immunesque adhuc clade belli et eo feroces ac truces tendens ad Tiberium imperatorem et cum difficultate locorum et cum vi hostium luctatus, magna cum clade obsistentium excisis agris, exustis aedificiis, caesis viris, laetus victoria praedaque onustus pervenit ad Caesarem, et ob ea, quae si propriis gessisset auspiciis, triumphare debuerat, ornamentis triumphalibus consentiente cum iudicio principum voluntate senatus ⟨*auctus*⟩ est.

Donatus, quod Rhenano praeeunte recepit Halm, minus placet, quia paulo supra (§ 1) Velleius iam dixit: quibus triumphans eum Caesar *donavit*. Legimus infra cap. 130, 3 (dignitatem) auxit alterius; cap. 129, 4 cotidiano auctu cet.

II 125, 3 sed haec omnia veteris imperatoris maturitas, multa inhibentis, aliqua cum gravitate pollicentis, *interque* severam praecipue noxiorum ultionem mitis aliorum castigatio brevi sopiit ac sustulit.

Quod dedi *interque*, eo praeferendum est lectioni *et inter*, quod Velleius cum in universum tum post litteram *r* coniunctionem *que* adamat; cf. II 60, 5 *interque* naturaliter dissimillimos ac diversa volentis crescebat odium; I 17, 6 naturaliterque; I 17, 7 sequiturque; I 13, 3 semperque (cf. II 115, 5; II 127, 4); II 26, 1 fortiterque; II 33, 2 neuterque; II 130, 1 superque cet.

AD SCRIPTORES HISTORIAE AUGUSTAE.

I (Hadr.) 12, 4 omnibus Hispanis Tarraconem in conventum vocatis dilectumque iocalariter, ut verba ipsa ponit Marius Maximus, retractantibus Italicis, vehementissime ceteris prudenter *caute*⟨*que*⟩ consuluit.

Sic edendum videtur (non: prudenter *et* caute) cum propter synonyma copulata tum propter clausulam –́ ⏑ –́ ⏑́ ⏑ ⏑̱. Documento est XXV (Claud.) 2, 7 fures iudices palam apertéque dàmnávit.

Item propter clausulam praeferendum videtur et VII (Comm. Ant.) 8, 3 sororís⟨*que*⟩ Lùcíllae; et XXVII (Tacit.) 6, 8 pro communi patria legibús⟨*que*⟩ dèpóscens; et XVIII (Al. Sev.) 16, 1 disquirendum cógitàndúm⟨*que*⟩ [1]).

Quod attinet ad hoc ultimum exemplum observemus necesse est scriptores Hist. Aug. solere voces extremis syllabis consonantes coniungere per *que* v. g. XVIII (Al. Sev.) 36, 2 promisisset dixissetque; XXII (Valer.) 5, 4 haberetur ireturque; XXVII (Tac.) 19, 5 Baianos Puteolanósque sècéssus; IX (Did. Iul.) 5, 3 venit ímperàvítque; ibid. 6, 9 venít petítque.

Verum ante vocalem saepissime *atque* adhibetur, velut XXVI (Aurel.) 41, 5 recte atque ordine; XX (Gordian.) 16, 3 mentem atque animum; ibid. 13, 6 statuae atque imagines (= XIX (Maxim.) 23, 7); XI (Pesc. Nig.) 9, 3 victi atque occisi; XXVIII (Prob.) 2, 4 nobiles atque ignobiles; XXIV (Trig. Tyr.) 30, 18 Persis atque Armeniis. Quocirca malim VIII (Pert.) 14, 4 adhortatus est iuvenem ad patrui observationem ⟨*atque*⟩ adiecit.

I (Hadr.) 14, 11 idem severus laetus, comis gravis, lascivus

---

1) Hoc uno loco etiam Peter, cuius textum sequor, addit *que*.

cunctator, tenax liberalis, simulator ⟨*simplex*⟩, saevus clemens et semper in omnibus varius.

Reimari supplementum Peter in textum recepit, at mihi non minus huc quadrare videtur *sincerus*, cf. XXVIII (Prob.) 2, 2 et quoniam me ad colligenda talis viri gesta ephemeris Turduli Gallicani plurimum iuvit, viri honestissimi ac *sincerissimi* [1]), beneficium amici senis tacere non debui. Ceterum synonyma esse illa verba *simplex* et *sincerus* elucet ex Panegyric. VII 16 (Baehr. pg. 173, 9) hic firmus, hic aeternus est rei publicae custos quem ipsum per se milites amant, cui non eblandita nec vendita servit adulatio, sed *simplex* et *sincera* devotio.

IV (M. Ant. Phil.) 14, 7 placuit autem urgente Lucio, ut praemissis ad senatum litteris Lucius Romam rediret. † *uiaque*, posteaquam iter ingressi sunt, sedens cum fratre in vehiculo Lucius apoplexi arreptus perit.

Haec Salmasii lectio probari non potest, sed vix dubito quin restituendum sit *brevique*, unde *bia quoque*, quod exhibent B et P, vel *via quoque*, quod est in M, facile oriri potuit.

VI (Avid. Cass.) 13, 2 Hanc eius clementiam senatus his adclamationibus prosecutus est: „Antonine pie, di te servent. Antonine clemens, di te servent. Antonine † *clemens*, di te servent.

Verisimillimum est altero *clemens* male repetito sinceram vocem *prudens* pulsam esse. Eadem enim adiectiva pariter fere coniunguntur XXVIII (Prob.) 22, 1 Conferens ego cum aliis imperatoribus principem Probum omnibus prope Romanis ducibus, qua fortes, qua *clementes*, qua *prudentes*, qua mirabiles exstiterunt, intellego hunc virum aut parem fuisse aut, si non repugnat invidia furiosa, meliorem. Legentes relego etiam ad XVIII (Alex. Sev.) 9, 1 Antoninorum nomen, vel iam numen potius quantum fuerit, meminit vestra *clementia*: si pietatem, quid Pio sanctius? si doctrinam, quid *Marco prudentius*?

IX (Did. Iulian.) 6, 5 Haec cum Iulianus videret, senatum rogavit, ut virgines Vestales et ceteri sacerdotes cum senatu

---

1) Cf. Plin. Pan. 70, 5 *sincera* rectaque ingenia e. q. s.

obviam exercitui Severi prodirent et praetentis infulis rogarent, ⟨*rem*⟩ inanem contra barbaros milites parans.

Transposui *rem* (quod verbum Peter inseruit post *inanem*), cum potius excidere posset post *rogarent*.

Infra quoque ordinem mutavi scribens:

XVIII (Al. Sev.) 6, 5 felices nos imperio tuo, felicem rem p. ⟨*imperator*⟩ infamis unco tractus est ad exemplum timoris, luxuriosus imperator iure punitus est, contaminator honorum iure punitus est.

Post *rem p.* sine dubio omissum est *imp.* (= imperator). Eidem substantivo mihi videor suum locum reddidisse:

XXIV (Trig. Tyr.) 33, 2 Post omnes tamen honores cum in agro suo degeret senex atque uno pede claudicans vulnere, quod bello Persico Valeriani temporibus acceperat, ⟨*imperator*⟩ factus est ⟨*et*⟩ scurrarum ioco Claudius appellatus est.

Cui non possit probari post *acceperat* perisse *imperator*, post *est* coniunctionem *et*?

Nemo igitur non assentietur Petero requirenti XIX (Maxim.) 17, 3 putabat autem, quod, si ille Romae fuisset, ⟨*senatus*⟩ nihil ausurus esset.

Nimirum post *fuisset* compendium *sen.* interiit. Inveniuntur enim in libris eiusmodi compendia, velut XVIII (Al. Sev.) 19, 1 Praef. praet. (ib. 23, 4); ib. 8, 1 p. c. XX (Gord.) 29, 1 conss. cet.

X (Sever.) 16, 1 Aestate igitur iam exeunte Parthiam ingressus Ctesifontem pulso rege pervenit et cepit hiemali prope tempore, quod in illis regionibus melius per hiemem bella tractantur, cum † *culparum* radicibus milites viverent atque inde morbos aegritudinesque contraherent.

Vocabulo depravato *culparum* substituo *ulvarum*.

XIII (Ant. Carac.) 5, 5 Deorum sane se nominibus appellari vetuit, quod Commodus fecerat, cum *illi* eum, quod leonem aliasque feras occidisset, Herculem dicerent.

De *illi*, quod pronomen omnes fere suspectum habent, Novák [1] scripsit: *Illi* ad quos referatur non apparet. Idem requirit *aliqui*,

---

1) České mus. filol. Roč. III pag. 258.

aliorum autem tentamina enumerat editor; equidem post *cum* haplographia quadam *illi* natum puto ex *multi*. Comparentur XVI (Anton. Diad.) 5, 3 quod *multi* ominosum putarunt et morti accommodum; ibid. § 6 haec atque alia omina fuisse *multi* in litteras rettulerunt; ibid. 6, 9 Getam vero, quem *multi* Antoninum negant dictum; XIV (Anton. Get.) 1, 1; XX (Gord.) 1, 1; ibid. § 2 cet.

XIV (Ant. Get.) 4, 1 Fuit adulescens decorus, moribus asperis, sed non impius, † *anarbo* retractator, gulosus, cupidus ciborum et vini varie conditi.

Fieri potest ut monstrum vocabuli natum sit ex hac scriptura
arrabo
arrae. Alia vi praeditum legitur verbum *arrae* infra XIX (Maxim.) 27, 7 manserunt autem apud eam *arrae* regiae, quae tales fuisse dicuntur. Cf. Thesaur. Vol. II pag. 632.

XV (Opil. Macr.) 8, 1 Appellatus igitur imperator † *susceptos* contra Parthos profectus est magno apparatu, studens sordes generis et prioris vitae infamiam victoriae magnitudine abolere.

Manifestum est *susceptos* ita declinatum esse ut pertineret ad *Parthos*, cum substantivum excidisset, ad quod referretur participium. Primaria vero scriptura videtur fuisse: Appellatus igitur *imp. rep. suscepta* [1]) contra Parthos profectus est [2]). Sicut hic post *imperator* praetermissum est *republica*, ita XVIII (Al. Sev.) 6, 5 post *remp.* periit *imp.* Cf. quae disputavi supra ad IX (Did. Iulian.) 6, 5.

XVIII (Al. Sev.) 44, 6 leges † *agnos* firmavit easque etiam ipse diligentissime servavit.

Nonne auctor agit de legibus *annalibus*, quae dicuntur? Sana certe mihi videtur lectio: leges *annales* firmavit e. q. s.

XVIII (Al. Sev.) 60, 7 tribunal ascendit, ut contionaretur et faustum aliquid diceret, ⟨*set*⟩ ita coepit: Occiso imperatore Heliogabalo.

---

1) Cf. Panegyr. III 13 tantae reipublicae administratione suscepta e. q. s.

2) Löfstedt (Eran. VII pag. 113—114) defendit: *suscepto* contra Parthos.

Quia princeps incipit a verbo male ominato atque infausto (nempe *occiso*), requiro post *diceret* coniunctionem adversativam. Ipse Peter et Baehrens codd. scripturam *et* mutaverunt in *set* XIX (Maxim.) 21, 4 haec cum vellet vindicare, multum exarsit exercitus, *set* odium tacitum in tempus distulit, quod loco suo statim prodidit.

XIX (Maxim.) 2, 1 Et in prima quidem pueritia fuit pastor, nonnumquam etiam † *procerte*, qui latronibus insidiaretur et suos ab incursionibus vindicaret.

Restituendum videtur *propugnator*. Nam credibile est in libris fuisse $\overset{\text{cert.}}{\textit{propugnator}}$, unde facile *procerte* oriri potuit. Cf. XXV (Claud.) 5, 5 at ego scio saepius inter gladiatores bonis *propugnatoribus* hoc nomen adpositum. Imprimis vero afferatur XIX (Maxim.) 21, 6 Post hoc Aquileiam venit, quae contra eum armatis circa muros dispositis portas clausit, nec *propugnatio* defuit Menofilo et Crispino consularibus viris auctoribus; hic enim Salmasius traditam memoriam, quae est *oppugnatio*, correxit.

XIX (Maxim.) 27, 7 manserunt autem apud eam arrae regiae, quae tales (ut Iunius Cordus loquitur, ⟨*qui*⟩ harum rerum persecutor est) fuisse dicuntur.

Post *loquit'* (= loquitur) omissum est *qui*, sicut infra cap. 28 § 10 post *quis* excidit *qui*. Ibi autem de eodem Iunio Cordo agitur: „quod idcirco indidi, ne quis ⟨*qui*⟩ Cordum legeret, me praetermisisse crederet aliquid, quod ad patrem pertineret". Cf. etiam cap. 31, 4 legat Cordum, *qui* haec omnia usque ad fabellam scripsit.

XX (Gord.) 22, 5 Gordianus *scilet* Caesar factus apud matrem educatus est et, cum extinctis Maximinis Maximus etiam et Balbinus militari seditione interempti essent ..... ingenti studio et gratia Augustus est appellatus.

Quae Iulius Capitolinus narrat paragraphis proxime praecedentibus, plane consentiunt cum XXI (Max. et Balb.) 3 § 3—5. Hic autem legitur de eodem Gordiano (§ 5): qui statim raptus est et novo genere *senatus consulti*, cum eadem die *senatus consultum* factum esset, inductus in curiam Caesar est appellatus.

Haec verba declarant eo loco, quem tractamus, scribendum esse: Gordianus *senatusconsulto* Caesar factus e. q. s. Falsam scripturam *scilet* natam esse ex compendio *Sct* nemo non intellegit.

XXI (Max. et Balb.) 5, 10 post haec praefectus urbi prudentissimus, ingeniosissimus et severissimus adprobatus est (sc. Maximus). § 11 quare veluti ⟨*ius*⟩ senatus ei, homini, quod non licebat, novae familiae, imperium tamen detulit, confessis omnibus eo tempore in senatu aptiorem non esse, qui deberet principis nomen accipere.

Leni medicina puto me locum corruptum sanasse.

XXIII (Gall.) 14, 8 ille igitur militibus *cogitatis* quasi certum processit ad proelium atque ita missis percussoribus interemptus est.

In verbo corrupto duae fere litterae abundare videntur, genuinum autem participium credo fuisse *coactis*. Commemoretur XXIV (Trig. Tyr.) 22, 4 in P exaratum esse *coaptus* pro *coactus*.

XXVI (Aurel.) 7, 8 alter alteri quasi † *in* nemo quasi servus obsequatur, a medicis gratis curentur, haruspicibus nihil dent, in hospitiis caste se agant, qui litem fecerit, vapulet.

In dittographiam esse facile perspicitur, tum apparet alterum *quasi* falso iteratum. Itaque recuperamus: alter alteri quasi [in] nemo [quasi] servus obsequatur e. q. s.

XXVI (Aurel.) 44, 1 Et Aurelianum quidem multi neque inter bonos neque inter malos principes ponunt, idcirco quod ei clementia, imperatorum prima ..... defuerit.

Peter recepit *dos*, at Kellerbauer post *defuerit* addit *virtus*, equidem desidero: imperatorum prima *laus*.

XXX (Car.) 1, 4 plus enim timetur de incertis moribus principis quam speratur, maxime in ea rep., quae recentibus confossa vulneribus Valeriani captivitatem, Gallieni luxuriam, triginta etiam prope tyrannorum ⟨*chaos*⟩ caesa civilium membra sibimet vindicantium perpessa maeruerit.

Fortasse potius *chaos* excidit ante *caesa* quam *conluvionem*, quod e Richteri coniectura Peter praebet.

AD PANEGYRICOS LATINOS.

Plin. Pan. 23, 1 Gratum erat cunctis quod senatum osculo exciperes, ut dimissus osculo fueras, gratum quod equestris ordinis decora honore nominum sine monitore signares, gratum quod *tantum* ultro clientibus salutatis quasdam familiaritatis notas adderes; gratius tamen quod e. q. s.

Pro *tantum* W. A. Baehrens [1]) coniecit recepitque *tot*, at Aemilius Baehrens [2]) Lipsium secutus edidit *tantum non*, sed verum videtur esse *tantus*, nam hoc orator intellegi vult: quamquam Traianus erat imperator maximus et amplissimus, tamen valde civilem et familiarem se praebebat adversus clientes. Coniecturae meae favent cap. 54, 6 nam plerosque ex decretis honoribus et alii non receperunt; nemo ante *tantus* fuit, ut crederetur noluisse decerni; et cap. 61, 1 *quanti* tunc illi *quantusque* tu!

II 11 (edit. Baehr. pag. 98, 20) ut enim omnia commoda caelo terraque parta, licet diversorum numinum ope nobis provenire videantur, a summis tamen auctoribus manant, Iove rectore caeli et Hercule pacatore terrarum: sic omnibus pulcherrimis rebus, etiam quae aliorum ductu geruntur, Diocletianus *facit* . . . . ., tu tribuis effectum.

Verisimile est inter *facit* et *tu* excidisse *ĩitiū*, id est *initium*. At Novákio [3]) placuit inserere *ortum*, quod tamen melius intel-

---

1) Panegyricorum Latinorum editionis novae Praefatio maior. Accedit Plinii Panegyricus exemplar editionis. Groningae, apud I. B. Wolters 1910 (pag. 78).

2) Aemilii Baehrensii textum exhibui in ceteris Panegyricis.

3) In Panegyricos Latinos Studia Grammatica et Critica scripsit Robertus Novák (Pragae 1901), pag. 24.

legimus omissum esse infra VII 2 (pag. 161, 22): hoc habes, Constantine, praecipuum quod imperator ⟨*ortu*⟩ es.

Ad sententiam conferatur IX 5 (pag. 197, 3) ita res simul *coepta* et *patrata*, iunctusque rebellibus fuit conatus et exitus.

III 3 (pag. 103, 16) quicquid immortale est, stare nescit, sempiternoque motu se servat aeternitas.

Cum his verbis interpretes omiserunt componere Cic. Tusc. I § 53 (= Somn. Scip. cap. 8) Quod semper movetur, aeternum est.

III 7 (pag. 107, 26) non fortuita in vobis est germanitatis usque ad imperium similitudo, *quae ne* etiam intervallum vestrae vincit aetatis et seniorem iunioremque caritate mutua reddit aequales, ut iam illud falso dictum est non delectari societate rerum nisi pares annis.

Sententia flagitare videtur: quae ⟨*pla*⟩ne etiam intervallum vestrae vincit aetatis. Commendatur *plane* his exemplis II 9 (pag. 96, 26) sed *plane* ut gemini illi reges Lacedaemonis Heraclidae rempublicam pari sorte teneatis; XII 6 (pag. 276, 7) ut *plane* in ambiguo sit utrumne te magis nostris mentibus virtus an optutibus vultus insinuet. non frustra *plane* opinione sapientium, qui naturalium momenta causarum subtilius sciscitati arcanis caelestibus nobiles curas intulerunt, augustissima quaeque species plurimum creditur trahere de caelo; Plin. Pan. 26, 2 donec *plane* scirent cet.

IV 11 (pag. 124, 5) Nunc quod in secundum eundemque ⟨*privatum*⟩ locum distuli, quemadmodum id sine sumptu publico et cum laude sacrae largitionis fieri possit ostendam.

In proxime praecedentibus capitibus (4—10) Eumenius demonstrat, quanti reipublicae intersit Maeniana restaurare. Verum in reliqua parte orationis a praeside provinciae petit, ut sibi liceat suum salarium duplicatum destinare ad restitutionem illarum scholarum. Quocirca quadrare videtur supplementum meum.

IV 15 (pag. 126, 24) qui, quod iubere possunt, suadere dignantur et, cum vel tacitas eorum ac vultu tenus significatas

voluntates summi patris sequatur auctoritas, cuius nutum promissionem *quippe* firmantis totius mundi tremor sentit, ipsi tamen ultro impetrandi potestatem cohortandi humanitate conciliant.

Baehrens edidit *quippe* quamquam cod. M exhibet *que* vel *q*. Sed nimirum confusio est inter *q* et $\bar{c}$, unde apparet genuinam scripturam fuisse: cuius nutum promissionem ⟨*con*⟩firmantis totius mundi tremor sentit. Cf. V 3 (pag. 134, 3) o tempus quo merito quondam omnia nata esse credantur, cum eodem nunc *confirmata* videamus cet.

IV 19 (pag. 130, 9) *pari cura.*

Haec locutio fortasse petita est e Vergil. Aen. VI 159 *paribus curis.* Quam multa autem hi oratores e Vergilio desumpserint, elucet ex elencho, quem confecit Schenkl. [1])

IV 20 (pag. 130, 27) videat praeterea in illis porticibus iuventus et cotidie spectet omnes terras et cuncta maria et quicquid invictissimi principes urbium gentium nationum aut pietate restituunt aut virtute devincunt aut terrore *devincunt.*

Alterum *devincunt* male iteratum sinceram expulit scripturam. Qui contulerit V 20 (pag. 147, 8) nihil ex omni terrarum caelique regione non aut metu quietum est aut armis *domitum* aut pietate *devinctum,* supra quoque, ut opinor, requiret: aut virtute *devincunt* aut terrore *domant* [2]).

V 7 (pag. 136, 24) Xerxes, ut audio, Persarum rex potentissimus, pedicas iecit aureas in profundum, Neptunum se dictitans alligare, quia fluctibus ferociret: *stulta* ille iactantia et sacrilega vanitate.

Meliores codices exhibent *stulla,* at *m* praebet *stulta stulla.* Fortasse vera lectio est *stultissima,* quod tamen olim scriptum fere *stul͡ta* in *stulla* videtur abisse. Simile certe vitium sustulit Jaeger V 8 (pag. 137, 28) revocando *plurima* pro tradita memoria *plura.*

---

1) Cf. Wien. Stud. III pag. 129—130.

2) Novák l.l. pag. 28 desiderat *comprimunt.*

V 10 (pag. 139, 5) tunc enim sive incuria deum sive quadam inclinatione fatorum omnibus fere membris erat truncata res publica: tunc se nimirum et Parthus extulerat et Palmyrenus aequaverat; tota Aegyptus, Syriae defecerant; amissa Raetia; Noricum Pannoniaeque vastatae; Italia ipsa gentium domina plurimarum urbium suarum excidia maerebat: non erat tantum [1]) doloris in singulis, cum paene omnibus *careretur*.

Pro *careretur* Livineius coniecit *quateretur*; minus vero longe a codicum scriptura recedit, quod exspectabam *laceraretur*, neque male respondet, quod paulo supra legimus: *omnibus fere* membris erat *truncata* respublica. Comparentur etiam XI 9 (pag. 251, 16) *lacerae* nobilium domus; Plin. Pan. 52, 5 cernere *laceros* artus, truncata membra; Vell. Paterc. II 90 Sepultis, ut praediximus, bellis civilibus coalescentibusque rei publicae membris, et coaluere quae tam longa armorum series *laceraverat* cet.

V 14 (pag. 142, 9) illi exercitui tuo, quem Sequana amnis invexerat, *irrevocabilem* iniecisti mentis ardorem e. q. s.

Praestat scribere *inrevocabilem*, cum antecedat *invexerat* et sequatur *iniecisti*; cf. Sen. Suas. VII 1 *inritare inimicum in* mortem tuam cupies.

Clarkium secutus scripserim Cic. Pro Cael. § 1 adulescentem *inlustri* [2]) *ingenio industria* gratia accusari; nam et Baiter et Goethius exhibet De Nat. Deor. II 80 deos, quorum *insignem* vim et *inlustrem* faciem videremus; ibid. I 12 visum .... *insignem* et *inlustrem*.

Recte denique mea quidem sententia Ellis edidit Vell. Paterc. II 123, 1 quamquam iam motus *inbecillitatis* [3]) *inclinataeque in* deterius principia valetudinis senserat, tamen e. q. s.

VI 6 (pag. 152, 19) fortunatus pictor ille quisquis fuit et, quamvis Apellem ipsum *Parrhasium* scientia vicerit, materia tamen imaginis quam arte felicior!

---

1) *Tantum*, quod est in cod. M., strenue defendit Burkhard Wien. Stud. IX pag. 173.

2) Van Wageningen praetulit *illustri*; at plerique editores scripserunt et Ovid. Met. II 50 et Sen. Herc. [fur.] 594 *inlustre* caput. Kukula edidit Plin. Pan. 83, 4 multis *inlustribus*.

3) Halm recepit *imbecillitatis*; contra Hense Sen. Ep. 30, 2 *inbecillitas*.

Post nomen Apellis nobilissimi illius pictoris nemo desiderat artificis nomen minus clarioris; fieri autem potest, ut interpres parum peritus, cui Parrhasius praeter ceteros floruisse visus sit, textum sic corrigere voluerit:

Parrhasium
quamvis *Apellem ipsum* scientia vicerit.

Certe emblemate deleto efficacior evadet sententia: quamvis Apellem ipsum [Parrhasium] scientia vicerit e. q. s.[1]).

VII 1 (pag. 160, 19) quorum ego exspectationem invitus licet fallam brevitate dicendi. revera enim cogitaveram plura quae dicerem, sed malo orationem meam ..... quam respui.

Baehrens, ut expleret lacunam, quam significavi, addidit *esse mancam*, at ceteri editores *brevem esse*; Schenkl[2]) vero proposuit *requiri*. Quid desideretur docet Pacat. Pan. XII 24 (pag. 292, 25) nam cum revolvi illud lustrale iustitium aures tuae *respuant*, laudes *petant* gloriaeque intersit ad praesentium commendationem bonorum mala decursa reputari e. q. s. Itaque supra quoque scribendum esse censeo: sed malo orationem meam ⟨*peti*⟩ quam *respui*. Cf. etiam VI 14 (pag. 159, 13) praecepta *petere*.

VII 16 (pag. 173, 2) nec solum hi[3]), quos ratio litterariae vitae ⟨*et*⟩ quies mitigavit, sed etiam ille militarium ardor animorum respectu tui lucra contempsit.

Post *vitae* vel *vite* facile *et* excidere potuit; *ac* autem huc non quadrat, quia haec coniunctio ante gutturalem in his Panegyricis poni non solet[4]).

Equidem praetulerim *que* infra X 33 (pag. 239, 6) facilior quidem multo*que*[5]) proclivior laedendi quam commodandi semper est via, vulnerare integrum quam sauciato mederi, dissipare parta quam divulsa componere.

VIII 7 (pag. 185, 20) vidisti enim non, ut per agros aliarum urbium, omnia fere culta aperta florentia, vias faciles, navigera

---

1) Löfstedt (Eran. VII pag. 114) requirit: Apellem ipsum <*ipsum*> Parrhasium.
2) Wien. Stud. III pag. 126.
3) Sic scribo plerosque editores secutus.
4) Id iam observavit Novák l.l. pag. 9.
5) Baehrens edidit: <*et*> multo.

flumina ipsas oppidorum portas alluentia, sed statim ab eo flexu, e quo retrorsum via ducit in Belgicam, vasta omnia, inculta squalentia, muta tenebrosa, etiam militaris vias ita confragosas et alternis montibus arduas atque praecipites, ut *vix* semiplena carpenta, interdum ⟨*vix*⟩ vacua transmittant.

Facile perspicitur alterum *vix* neglegentia librarii praetermissum esse. Unus certe locus tuetur supplementum meum nempe XII 34 (pag. 302, 6) *vix* fluvium manus invicta transierat: iam locum belli tenebat. *vix* hostem invenerat: iam urguebat. *vix* pectora viderat: iam terga caedebat. Hic etiam commemorandum est Muellerum ceterosque scripsisse Plin. Pan. 13, 4 Hac mihi admiratione dignus imperator ⟨*vix*⟩ videretur, si inter Fabricios et Scipiones et Camillos talis esset.

VIII 7 (pag. 186, 10) di *boni*! quisnam ille tum nobis illuxit dies (iam enim ad praedicanda remedia numinis tui ordine suo pervenit oratio), cum tu, quod primum nobis signum salutis fuit, portas istius urbis intrasti?

In codd. BCVW legitur: di *boni*, sed optimus A exhibet: di $\overline{mm}$, ex quo efficio scribendum esse: di *maximi*. Conferantur: imperator maxime (X 6; X 16); maxime imperator (XI 17); Constantine maxime (X 36; X 37; X 38 cet.); principum maxime (X 5) cet. Subiungamus Plin. Pan. 88, 8 ideoque ille parens hominum deorumque optimi prius, deinde *maximi* nomine colitur.

His exemplis commotus infra quoque ediderim VIII 13 (pag. 190, 24) o lustrum omnibus lustris felicius! o lustrum quod merito hanc imperii tui aequavit aetatem! nobis ergo praecipue te principem di *maximi* creaverunt, quibus singulis haec est nata felicitas, ex quo tu imperare coepisti.

VIII 11 (pag. 189, 13) remissione ista septem milium capitum viginti quinque milibus dedisti vires, dedisti opem, dedisti salutem plusque in eo consecutus es, quod roborasti quam recidisti in eo quod remisisti: quasi ter tantum tibi firmum certumque redditum est, id quod ⟨*diu*⟩ irrito petebatur, siquidem desperatio perferendi debiti etiam id quod dari poterat inhibebat.

Adverbium a me insertum saepissime legitur in Panegyricis,

velut ter in capite proxime praecedenti (pag. 188 vs. 22—24); verum minus frequenter occurrit *olim*, quod Baehrens addidit. Satis habeo exscribere IX 16 (pag. 205, 24) ut tu iam *olim* exspectatus habitator sacris illis aedibus *diu* exalatis expiatisque succederes.

IX 12 (pag. 202, 2) magnus poeta, dum bellorum toto orbe surgentium discursum apparatumque describit „et curvae", inquit, „rigidum falces conflantur in ensem". triste nimirum tempus illud, cum instrumenta *tui* pecudum praeparata in caedem hominum verterentur.

Pro *tui*, quod est in M, veteres editores correctorem codicis W secuti receperunt *cultui*, unus Baehrens exhibet *usui*. Iam vero multo rectius coniecit Axel Nelson [1]) *victui*; etiam leniore medicina adhibita revoco: instrumenta ⟨*al*⟩tui. Cf. Macrob. I 20, 18 hinc est quod continuatis uberibus corpus deae omne densetur, quia vel terrae vel rerum naturae *altu* nutritur universitas.

IX 17 (pag. 206, 2) locum, quem pugnae sumpserant, texere corporibus.

Interpretes fugit hic oratori ante oculos obversata esse Sallustii verba (Bell. Cat. 61, 2) quem quisque vivus pugnando locum ceperat, eum amissa anima corpore tegebat.

X 30 (pag. 236, 16) o si nunc mihi facultas daretur sermonis pro ⟨*modo*⟩ rerum figurandi! adhiberem omnes flosculos et abuterer exquisito quodam lepore ac venustate dicendi.

Vocem a me additam et Baehrensii supplemento, quod est *pondere*, et ceterorum, quod est *dignitate* [2]) anteponendam esse elucet ex XI 14 (pag. 255, 20) itaque grandaevum iam imperium videbitur his, qui non ratione dierum aut mensium, sed operum multitudine et effectarum *rerum modo* Iuliani tempora metientur. Ex Nazarii Panegyrico afferantur X 23 (pag. 230, 11) certum

1) Cf. Eran. VIII pag. 161.

2) Ceterum duo illa verba synonyma esse declarat VIII 4 (pag. 182, 25) bonis enim meritis cum aetate *dignitas* et *pondus* accedit.

est enim *pro negotii modo* animosam esse virtutem et X 38 (pag. 244, 8) ut fruendi copiam *pro desiderii modo* capiat.

X 31 (pag. 236, 32) nil ex hostico accepit, sed se ipsam recuperavit, nec praeda auctior facta est, sed esse praeda desivit; et (quo nil adici ad gloriae *magnitudinem* ⟨*magnificentius*⟩ potest) imperium recepit, quae servitium sustinebat.

Contendi non potest me inserto verbo *magnificentius* orationem nimis tumidam reddidisse, cum praesertim conferri liceat XI 3 (pag. 246, 15) quae in hac Romana imperii parte *gloriosissima* sunt *famae laude celebrata* e. q. s. Adverbio *magnificentius* utitur Nazarius X 18 (pag. 227, 28), at cap. 35 (pag. 241, 10) legimus: quae antehac *magnificentissima* putabantur; supra vero in Eumenii oratione IV 16 (pag. 127, 16) occurrit: *magnificentius* carmen; ad postremum e Plinii Panegyrico laudetur 83, 2 Est *magnificum* quod te ab omni contagione vitiorum reprimis ac revocas, sed *magnificentius* quod tuos.

X 33 (pag. 238, 30) nam et calamitate obsessis finis est voti miseria liberari et mox vacuitas miseriarum parum grata est, nisi laetitia consequatur. ita pro se quaeque officiis suis functae Fortitudo et Liberalitas imperatoris cumulatissimam urbis [1]) beatitudinem ⟨*sentina*⟩ exhaurienda et congerendis commodis reddiderunt.

Baehrensii supplemento, quod est *aegritudine*, substitui *sentina*, apte enim Constantini laudator Maxentium eiusque partes *sentinam* Romae [2]) potuit appellare. Quod attinet ad locutionem *sentinam exhaurire*, componi oportet Cic. ad Att. I 19, 4 populo autem et Pompeio (nam id quoque volebam) satis faciebam emptione, qua constituta diligenter et *sentinam urbis exhauriri* et Italiae solitudinem frequentari posse arbitrabar.

XI 15 (pag. 256, 22) quid? quod nihil speranti mihi de honoris augmento (neque enim ultra praefecturam se votorum

---

1) *Urbis*, quod est in M, iure tuetur Löfstedt, cf. Eran. VII pag. 63.

2) Cf. infra pag. 239, 19 illa monstrosa labes (quae ad eundem tyrannum pertinent).

meorum modestia porrigebat) perfertur nuntius consulem me creatum sine impendio, quod iam diu paucis; sine labore, quod numquam; sine petitione, quod némini ⟨*cóntigìt*⟩ [1]).

Qui contulerit XII 3 (pag. 273, 24): nonne is omnium suffragiis hominum tributim centuriatimque legeretur, cui felix patria, cui domus clara, cui forma divina, cui aetas integra, cui militarium civiliumque rerum usus *contigisset*?, procul dubio comprobabit verbum, quod supra adieci. Quin etiam W. A. Baehrens investigator diligens clausularum in Panegyricis [2]), ut opinor, mihi assentietur, cum ratio mea clausulam optimam praebeat.

In fine periodi habes *cóntigísses* (Plin. Pan. 14, 1); *cóntigísti* (ibid. 15, 5); at in fine coli *cóntigísse* II 13 (pag. 100, 22); VII 21 (pag. 177, 17) cet.

XI 31 (pag. 269, 13) de rebus gestis tuis *sine odio et gratia* ..... indicabunt.

Hic Mamertinus imitatur Tac. Ann. I 1 pauca de Augusto et extrema tradere ..... *sine ira et studio.*

XII 19 (pag. 288, 2) an non illa Romana pietatis notissimae mater nuntio mali Cannensis exterrita, filio reduce quem flebat, diriguit in mortem nec par esse gaudio potuit, quae superfuerat orbitati?

Huius fabulae neque Valerium Maximum neque Plinium Livineius fontem dicere oportuit, sed Liv. XXII 7, 13 unam in ipsa porta sospiti filio repente oblatam in complexu eius exspirasse ferunt. Quae tamen verba respiciunt ea, quae facta sunt post pugnam ad lacum Trasumennum commissam. At Plinius concise narrat N. H. VII 53, 180 (Detl.) Gaudio obiere ..... mater illa Cannensi filio incolumi reviso contra nuntium falsum e. q. s.

XII 33 (pag. 301, 19) quae tandem *ut collatio* posset esse populorum, etiamsi tanta non esset dissimilitudo causarum ut

---

1) Novák l.l. pag. 68 nullum desiderat supplementum.
2) Cf. l.l. pag. 61.

ab illis fuerit Romani imperii appetita captivitas, ab his repetita libertas?

Haec verba spectant ad illa, quae paulo supra inveniuntur (pag. 301, 3) non *contendam* duces ..... quid in ceteris saltim simile deprehendemus, maxime si rerum temporumque facies altrinsecus *conferamus* et hos illosque populos animorum subiciamus oculis? Quamobrem ex usu Panegyricorum pro *ut* videtur reponendum esse *inquam*. Hoc fortasse per compendium scriptum fere *īqȝ̄* abiit in *ut*.

XII 36 (pag. 304, 14) diversa reipublicae membra.

Haec locutio petita est ex Amm. Marcell. XV 3, 3 vel XVIII 5, 1; praeterea possis comparare Amm. Marcell. XXV 9, 5 per omnia civitatis membra cet. [1]).

XII 46 (pag. 313, 16) cui Alliensi die Emathia funestior.

Hic fortasse Pacato ob oculos versata sunt Lucani verba (Lib. I, 1)

Bella per Emathios plus quam civilia campos,
Iusque datum sceleri canimus e. q. s.

---

1) In opusculo meo, cui titulus est Ammianea et Annaeana, plura eiusmodi exempla congessi pag. 5.

INDEX LOCORUM.

AD SENEC. TRAGOEDIAS.

AD SENEC. EPIST.

AD SENEC. DIAL.

AD SENEC. RHET.

AD VELL. PATERC.

AD SCRIPT. HIST. AUG.

AD PANEGYRICOS LATINOS.

INDEX LOCORUM SIMILIUM.

E. J. BRILL edidit (1909):

Ammianea et Annaeana, scripsit C. BRAKMAN J.F. . flor. **0.60.**

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.